

**De potus cofe abusu catalogum morborum augente ... / disputabit
Antonius Guilielmus Plaz ... responsuro Joanne Gottlieb Gleditsch.**

Contributors

Gleditsch, Johann Gottlieb, 1714-1786.
Plaz, Anton Wilhelm, 1708-1784.

Publication/Creation

Recusa Lipsiae : [publisher not identified], [1744]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/emhmsszd>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

POTVS COFE ABVSV
CATALOGVM MORBORVM

AVGENTE

GRATIOSISSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ
PERMISSV

PRO LOCO

IN EADEM ALIQVANDO OBTINENDO

EX MORE DISPVTABIT

ANTONIVS GVILIELMVS PLAZ

PHIL. ET MED. D.

HORIS POMERIDIANIS

RESPONSVRO

IOANNE GOTTLIEB GLEDITSCH

LIPS.

PHILOS. MAGISTRO.

AD DIEM XII. IVNII M DCC XXXIII.

RECUSA

LIPSIÆ M DCC XLIV.

SENECA NATVR. QVÆST. L. IV. C. 13.

Aquam, quam natura fluere & patere omnibus voluit, cujus
haustum vitæ publicum fecit, quam tam homini quam fe-
ris avibusque & intertissimis animalibus in usum large ac-
beate profudit, contra se ingeniosa luxuria redegit ad pre-
tium. Adeo nihil potest illi placere, nisi carum. Illi, cui
divitiæ molestæ sunt, exeogitatum est, quemadmodum
etiam aqua caperet luxuriam.



CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

- | | |
|---|---|
| §. I. <i>Voluptas novitatis mater, exemplum romanorum, caldam bibentium, transitio ad detectionem potus Cofe.</i> | §. VI. <i>Arboris descriptio cum charactere addito.</i> |
| §. II. <i>Origo Cofe.</i> | §. VII. <i>Unde sit, quod fructus Cofe fabarum nomine, falso tamen appellari soleant.</i> |
| §. III. <i>Variæ ejus denominationes.</i> | §. VIII. <i>Transito ad translationem medicam, ubi in genere de aquarum potatione, nostris temporibus usitatissima paucula præmonentur.</i> |
| §. IV. <i>Error eorum, qui mori, vel leguminis speciem esse arbitrantur.</i> | §. IX. <i>Partes Cofe constitutivæ explicantur.</i> |
| §. V. <i>Patria ejus, modus propagandi, & ad terras nostras transportatio.</i> | §. X. <i>Hinc non omnibus subjectis</i> |

*subjectis convenire ejus
usum declaratur.*

§. XI. *Stomachi concoctioni
obest, falsa opinio refu-
tatur quod nutriat, cau-
sa nutritionis lacti affu-
so relinquitur.*

§. XII. *Vis ejus effæmi-
nandi.*

§. XIII. *Bilioforum me-
lancholicorum & pitui-
tosorum constitutioni no-
cet.*

§. XIV. *Hydropicorum
intendit symptomata.*

§. XV. *Literatos ema-
ciat.*

§. XVI. *Fœmellarum
damnum tum in re
domestica, tum in faciei
deturpatione.*

§. XVII. *Generationis
impedit negotium.*

§. XVIII. *Infantibus mi-
nime est concedendus
ejus usus.*

§. XIX. *Conclusio hæte-
nus dicta de abusu sal-
tem intelligenda indi-
gitat.*



A. Ω.

§. I.



Ostquam semel veteri abdicata simplicitate in luxum defluere coeperunt homines, non potuerunt non novis quotidie excogitatis, ac undecunque anxie congestis deliciarum generibus suum demulcere genium. Omni prope modum natalis soli penu excusso ad ipsos Arabes & Indos excurrerunt, solem fecundiorē, ubi oritur, quam ubi occidit, præpostere rati. Quem fugit, ut hic modo per lancem saturam quædam nominemus, inde ad nos nescio an infelix illud tabaci lolium allatum? quo, si amatores illius audias, (a)

Nil majus meliusve terris

Fata donavere, bonique Divi

*Nec dabunt, quamvis redeant in aurum Tem-
pora priscum.*

A

Hujus

(a) Horat. Carm. L. IV. Od. 2.

Hujus introducto usu, fumo adeo vesci didicerunt, eo tantum sibi placentes, ut, si non animam, saltem illius voluptatem per traducem, seu canalem tubuli fictilis transferri credant. Fumabant igitur ora, sed potu adhuc domestico proluenda, cum ecce opportune adveheretur fabarum genus, præparando inde potui calido aptum, quo Deorum Nectar restitutum videbatur. Vix nomine opus, quando, si potum nectareum vocas, nemo non illum, quem vulgo COFEE appellant, innui, sponte auguratur. Incognitus hic majoribus, primum a paucis & proceribus medicamento ad instar adhibitus, paulo post omnibus familiaris, ab aris tantum non ad haras, & a tiaris ad triarios abiit. Ita a vero rerum usu degenerare solent plerique, veteribus Romanis, quorum jam ad exempla omnem morum simplicitatem cum luxu commutarunt, in eo quoque simillimi, ut, sicut hi olim potus Caldae, ita potus Cofetani abusum pessimum introduxerint. Non obscure forte aut injucunde hos invicem si comparem, vitiorum proderetur recursus, nostrique seculi κακοζηλία, ni nimis extra oleas vagari viderer. Sufficit, Romanos primum raro, & sanitatis causa Caldam potasse, mox magnos ejus desorbuisse calices, hinc cœnis & prandiis intulisse, tum defruto, melle, nardo miscere didicisse, partim novitatis studio incensos, partim principum virorum exemplis allectos, partim voluptate laceffitos. Peculiarem ejus ministrandæ seruum alebat quælibet domus, præparandæ vero pretiosa

sa juxta ac ingeniosa ostentabat vascula, de quibus omnibus data ac doctissima opera differentem legere juvabit. **I**Ctum vere humanum **G**E**B**A **V**E**R**VM. (b) Summa hæc Caldæ aviditas non unum veterum auctorum ac Poëtarum scomma provocans, ipsi Imperatori Tiberio nomen Caldii inter ridentes fecit. Hodie, si tam multos Caldam Cofetanam adeo immodice & impotenter sitientes, si invento, quod potum fabalem reddat sapidiorem, non quod pueri in faba invenisse se gloriantes videas, an non ad hos quoque Caldiorum, aut, si mavis Fabiorum, nomen aptabis, quod inclutam illam romanorum gentem ab esu fabarum familiari & grato nactam legimus. Sicut enim ægrorum sitim potus accendit, sicut ignis lignis ardentibus non obruitur, sed augetur: ita diuturna consuetudo, jam facta necessitas aviditatem acuit. Sentiunt damnum domesticum cordati Catones, & Curii, & bacchanalia hæc Cofetana execrati ad raucedinem clamant:

*O mulier mulier! quærenda pecunia primum
Cofée post nummos.*

Alii abusui remedium, legemque sumptuariam, nequid ipsa respublica detrimenti capiat, & dum potum hunc otiosi sorbillant, facultates civium æque ac bona decoquantur, postulant. Non uno loco celebris ille morum in Anglia spectator tabernas Cofetarias turbulentorum consiliorum offi-

A 2

cinas

(b) De Caldæ & Caldi potu apud Veteres.

cinas vocat, surdis tamen narratam fuisse fabulam auribus, indies majora capiens incrementa abusus luculenter testatur. Commovit me istud tam lente imperans cacoëthes, ut, quod olim in tabaco sternutatorio factum multis non displicuit, quantum hic ex potu Cofe detrimenti sit metuendum, explicatum daremus. Tantum autem abest, ut scholam profitear Pythagoræ, (c) qui fabis prorsus abstinere iussit, cum potius diversa ejus modico usui relicturus sim commoda, de gula saltem huic semel assueta id solum obtinere cupiens, ut negata sibi indies largiori ejus infusione justum tandem servare sciat modum. Et quanquam quis forsitan nobis Iliada post Homerum objiciat, morbo tamen, & abufui inueterato & tenaci, illi non unam medicinam, huic præceptum parandum esse, quilibet largietur.

§. II.

Licet vero, quæ medicæ sunt contemplationis nobis hic maxime monere constitutum sit, operæ tamen pretium censuimus, pauca de historia hujus potus præfari, tum, quod illam non raro juvare soleat, tum vel hac, si præceptis medicis non poterimus, apud amatores ejus aliquam saltem gratiam meritori. (d) Vix hominis memoriam egreditur,

(c) v. Gell. L. IV. C. II. & Cic. de Divin. L. I. c. 30.

(d) Hujus potus mos primum maxime in regione Mecca invaluit ubi tamen Gubernator ex consilio devotorum, qui eum legibus putabant contrarium, eundem interdixit

ditur, quo nomen ejus apud nos increbescere cœpit. Hinc & potum istum in earum rerum numerum referri audias, quarum inventionis gloriam ultimæ seculi ætati, ad sublevandas majores præ pristina molestias benignius quoddam fatum servasse creditur. Quis primus inter Europæos salivam moverit, potumque hunc notum reddiderit, si quæras, apprime huc facienta invenies in itinerario Arabiæ felicis, gallice scripto, & Parisiis 1716. edito, cui addi meretur Commentarius de arbore & fructu Cofee, item Tractatus historicus de origine & progressu Cofee, qui uterque Lipsiæ germanico idiomate prodiit anno 1717. Nominandus autem hic nobis cum Marco Mappo, Medico Argentoratensi in Dissert. de Potu Cofee junctim cum alia de Potu Thee & Chocolate edita Argent. 1695. videtur Leonhardus Rauwolfius, Augustanus, qui

A 3

arti

adeo, ut in transgressores dure animadverteret. Sed re ad Sultanum Ægypti delata revocare illam prohibitionem, & abusum solum inhibere jussit, quoniam etiam res optima uti aqua fontis Zenzem in abusum abire queat. Vid. Journ. des Scavans pour le mois de Sept. 1716. p. 246. 2. 7. Eadem fata expertus est Constantinopoli, ubi legi ideo contrarius dicebatur, quia faba usta species esset carbonis, cujus usus lege sit prohibitus. Claudebantur tabernæ, renovabantur mandata. Sed consuetudo & delicia potus incitabant homines, ut religione posthabita intra privatos parietes & clam crebro absorberent, usque dum Inspectores politiæ frustra hic agi animadvertentes, & Clerici ipsi ejus usu capti eum permetterent. Journ. des Scav. pour le mois de Sept. 1716. p. 247. & 246,

arti salutari aliquamdiu Augustæ Vindellicorum non sine laude operatus, incredibili dein Botanices amore captus, Senatus permisso in Orientem anno 1573. iter suscepit. Is in itinerarii germanici C. 8. quo a se observata diligenti consignavit manu, Cofe fructus mentionem injicit. Hujus igitur diligentiae debemus victimas, qui exploratis Orientalium deliciis, notitiam fructus Cofee, uti olim missi Israëlitæ vuas ex terra Cananitica bono omine apportavit. (e)

§. III.

Celebratus autem hic fructus non sub uno innotuit nomine. Etenim si Domini Du Four Tractatum C. I. & Simonem Pauli de abusu Tabaci & Herbæ Thee p. 58. sequamur, fructus hic antequam in pulverem redigitur, æque ac arbor ipsa Arabiæ incolis Buun, latinis Bunchum, Gallis Bon, potus vero inde præparatus Cofee audit, non secus ac aqua hordeo decocta tertium nomen producit. Hodie tamen discrimen illud parum attendi, nomenque

- (e) In Europam primum invehctus est Massiliam anno 1659. sed a paucis sumtus, circa annum 1660. plures mercatores Massilienses, diuturno secessu in Levanticas regiones ei assueti eum secum portabant, & adeo frequentem reddebant, ut anno 1671. tabernæ aperirentur cum magno hominum concursu. Id quod apud medicos multis contra potum hunc declamationibus, frustraneis tamen occasionem dedit. Journ. des Scav. supr. cit. p. 249. Parisiis anno 1669. epocha potus introducti quæri debet, ubi Legatus Soliman Aga a Sultano Mahumeto IV. ad regem Galliae missus magnum fabarum pondus secum attulit. ibid. p. 249.

que posterius unice fere usitatum esse experimur. Ast hoc quoque varie, mox Cave, Cavet, Cahve, Cophe, Chaube, Chohava, Cahovah, mox aliter, pro diversitate uti videtur linguarum & regionum, ubi in usu est, effertur, apud nos Cofee appellatur. Turcæ, aliique Orientales pronuntiant Cohve, ejusque originem deducunt a Cohvet, robur, ipsius effectum in insigni corroborandi vi constituentes. (f)

§. IV.

Jam itaque aderat fructus, inque deliciis esse incipiebat, genere licet, ad quod referendus sit, nondum intellecto. Risum meretur, quod Du Four C. I. Tractatus de potu Cofe Thee & Chocolate narrat, suo tempore chartam quandam Parisiis circumvolasse, quæ fructum hunc pro moro venditans, egregias in simul ejus virtutes deprædicaverit; eadem de autore ejusdem sententiæ dici pote-

(f) Alii, cum quibus consentit Joh. Bapt. Tavernier in Itinerario Turcico etymologiam vocis ab Arabico *Cahovah* descendere putant, quod *vinum* significat, unde postea nomen ejus ad potum, quem Mahometani illi substituerunt, applicatum fuit. Prosper Alpinus Italus anno 1580. iter in Egyptum suscipiens & post reditum Professor Botanices & horti medici Præfectus in Academia Patavina in Libr. de plantis Egypti c. XVI. & de medicina Egyptiorum L. IV. c. 3. parem fovet sententiam, quod *vinum* significet.

poterant, quæ Horatius in arte Poetica v. 30. effatur:

Delphinum sylvis appingunt, fluctibus aprum.

Ipse etenim fructus, nequidem recens mori figuram refert, adeo, ut qui eundem sive nascentem, sive maturum & siccum, prout ad oras nostras appor-
tatur, pro mori specie habeat, nonnisi somnians cerebrum gerere videatur. (g) Alii, interque il-
los Francisc. Baco Com. De Verulamio in hist. vit. & mort. herbis annumeravere, veniam tamen erro-
ris hanc ob causam meretur, quod illius saltem mentionem obiter, & ex peregrina fama injecerit, alibi vero in sylva sylvarum Cent. VIII. Exper. 738. inter baccas referat. Ipse Du Four C. I. merito-
que inde a Jacobo Sponio in nota subjuncta nota-
tus non sat accurate versatus, peregrini legumi-
nis speciem vocat, quod nomen teste Varrone Rer. Rusticar. I. 32. illa solum, quæ vellendo legun-
tur, non quæ subsecantur, merentur. Imo nos ipsi fructum parum proprio, & non nisi a similitu-
dine quadam desumpto nomine fabam appellamus, cum tamen arboribus annumerandus sit, quippe quæ fabas nunquam gerunt.

§. V.

Alit autem hanc arborem feracissima Arabiæ pars, quam olim felicem appellabant, hodie Ye-
men

(g) Alii ad speciem mirabilis Peruvianæ referunt, cum vero hæc semen unicum nudum gerat, Cofè vero baccam dipyrenam, illi falso annumeratur.

Yemen nuncupant. (h) Tanto autem magis hæc sibi propria bona gloriantur Arabes, quod arbor ista ex Æthiopia primum ad eos transplantata patrium hic solum invenisse, ibique & raro & parum fecunda videatur. Interim eodem, quo Arabes, qui hunc fructum, aliis terris negatum sibi proprium credebant, errore multi nostrum aliquando capti fuere, ejusdem aliis in terris propagationem impossibilem arbitrati. Constans enim olim fama fuit, Arabes providos, fructuum germen, antequam exportarentur, aut superfusa aqua calida, aut levi torrefactione extinguere. Ast, ut iis supersedeamus, quæ ex autopsia aliisque sat validis argumentis protulerunt jam ante nostra tempora viri experientissimi, id unicum ex multorum observatione, quos allegat Mappus in Dissert. supr. cit. p. 10. sufficiet, fructum nempe aquæ frigidaæ aut spiritui vini injectum intra breve tempus rudimentum germinis protrudere, arboremque ipsam in non uno bene cultorum horto apud nos cerni. Non itaque erat quod mirabatur Johannes Rajus, Medicus Anglicus, inter Botanicos magnum nomen, unicam regionem tam arctis finibus circumclusam tanta fabarum copia prodigæ tot hominum gulæ occur-

(h) Historiam inventionis per custodem Camelorum vel caprarum narrat Faustus Nairon Maronita, Linguae Chaldaicæ & Syriacæ in Collegio Romano Professor in Dissert. quæ extat in Italor. eruditor. ephemerid. an. 1617. Hinc credibile, ejus usum adeo antiquum non esse, præcipue cum & ii qui prioribus temporibus peregrinati sunt, de eo, licet de aliis potus calidi generibus agant, plane fileant.

occurrere, nec unquam fuisse, qui vel unum fecundum granum ejus fructus quo (i)

Humana sibi doleat natura negato

furtim velut alter Prometheus ignem de cœlo, ad sno pertulerit. Falluntur sane boni Arabes, quis enim nescit, vicinas regiones, maximeque Indiæ Orientalis eadem lucri spe allectas arborem hanc magno numero in solum suum transtulisse. Inde accidit, ut, cum olim hic fructus non nisi ex Arabia felici, primum in urbem maritimam ad mare rubrum, Sues, indeque Ægyptum transvectus, mercatura Venetorum ad nos perveniret, nunc, ubi India Orientalis celebri commercio huc a Batavis invento tantum fabarum proventum cum reliquis mercibus quotannis mittit, hæ ab illis quas vulgo appellamus *Levantische*, utpote majores & bonitate ab aliis distinctæ discrepent. (k) Nimis hyperbolice loqui videtur Nic. de Blegny, ex natione Gallorum, magna semper & insolita sonante in libro *du bon usage du The du Cofe & du Chocolate* an. 1682. edito, qui nobilem prope Diviodunum jam multos per annos arborem hanc pari, ut apud Arabes successu propagasse asserit, o sanctos credulos! dum, quod sibi (l)

hec nascantur in hortis

Numina,

cicer

(i) Horat. L. I. Sat. I.

(k) Ditiores inter populos Orientales non ex fructibus sed corticibus præparant potum, quos in locis ficcis & occlusis servant, cum ex humiditate saporem minus gratum trahant. Hinc Galli, qui in hisce regionibus eo potu usi sunt, eum valde laudant, alterique præferunt, quippe cum eundem saccharo temperare non indigeant, ob nativam dulcedinem in-

cicer arietinum pro illa mirati sunt. Forsan nos secum haberet consentientes, nisi & nostra in urbe hortulanorum cognitam haberemus indefessam curam, summamque diligentiam, conservandæ huic arbori necessariam, horum enim vigilantia factum, ut non semel arboris Cofe flores & fructus ostenderit hortus Apelianus, præcipue tamen Bosianus, in quo non exiguam arborum reperiet curiosus spectator copiam, non tamen æque felici & facile negotio propagatarum, ac si Arabia solum & solem faventem habuissent.

§. VI.

Jam, cum ipsius arboris mentionem injicimus, ejusdem quoque clariorem ut tradamus descriptionem ordinis jubet ratio. Ut itaque lectori hoc & in passu satisfiat, liceat verbis uti, quibus Juissieu p. 679. arborem Cofe describit: „Arbor, inquit,“ unico Arabiae felicitis solo gaudere credita, impro-“ ba arte Amstelodamum a Batavis translata in re-“ gium Parisiensem hortum successit. Hic educata“ ad Jasmini genus recte revocata est. Ramis hinc“ inde binatim e cautice nascentibus assurgit. Cor-“ tici cinereus inest color. Folia ex singulorum ra-“ morum nodis bina, ac ex adverso posita erumpunt,“ laurinis fere similia, superne virentia, inferne“ pallida, molliora, saporemque & odorem nullum“ aromaticum spirantia. Albi flores monopetali, ex“ ipsis foliorum alis enati, brevi peticulo nixi Jasmi-“

B 2

neos

existentem. Appellatur hic potus Cofe a la Sultane, de cujus præparatione vid. Dissert. Epistolica Mich. Fridr. Lochneri ad Dn. Conr. Barthold. Behrens, de novis & exoticis Thee & Cofe succedaneis.

(1) Juv. Sat. XV. v. 10.

„neos hispanicos referunt. (m) His odor suavis,
 „levis licet. Stamina quinque medium floris oc-
 „cupant, fructus ex pistilli floris parte infima oritur,
 „calyce tetraphyllo viridi ac peregrino infitus, pri-
 „mum virescens, milii magnitudinem, dein crescens
 „cerasum adæquat, mox rubescit, ac perfecte ma-
 „turus ex rubro infuscatur. Huic caro subrubra,
 „nonnihil viscosa, sapore ingrato. Exsiccata fit
 „gratior, geminam frequenter, rarius unam invo-
 „luit capsulam, friabilem, subluteam, tenuem,
 „ex una parte gibbosam, ex altera, qua jungun-
 „tur invicem, planam. Capsulæ involucri recon-
 „ditur semen, ex viridi albicans, callosum, ova-
 „tum, convexum supra, subtus planum, ac pro-
 „funde in medio sulcatum., Satis accuratam jam
 dictus autor arboris hujus tradidit descriptionem,
 nisi quod nobis in eo peccasse videatur, quod flo-
 res arboris Cofè lasmineis annumeravit. Jasmi-
 num enim si contemplemur, cumque floribus
 Cofè conferamus, egregie eosdem ratione figuræ
 & modi crescendi differre quilibet nostrorum Bo-
 tanicorum nobiscum fatebitur. Longo enim gau-
 det Jasminum infundibulo, folia non ad marginem
 crispata, sed plana nobis sistit, ipsosque flores in
 summitate saltem, non vero ad alas ramorum pro-
 rum.

(m) Bcerhaven in Indice plantarum, quæ in horto Acade-
 mico Lugduno-Batavo reperiuntur anno 1710. edito
 p. 250. hanc tradit arboris descriptionem: Jasminum
 Castaneæ folio, flore odoratissimo rubro, cujus fructus
 Cofè appellatur. Falsam hanc esse arboris Cofè descri-
 ptionem vel jam descriptam nomine Cofè venire non
 posse, oculatiores nobiscum fatebuntur Botanici.

rumpentes exhibet, quorum quemlibet duplex bacca dipyrena sequitur. Quare rem acu fere tetigisse videri potest Celeberrimus Heisterus, qui, ne in nomen Cofè adeo hodie notum & deamatum injurius esse videatur, ejus forsan sub Jasmini specie cum nomine perituram celebritatem veritus, accuratiori ipsius habita indagatione, novo generi arborem istam inferendam esse jure meritoque statuit, caractere tamen specialiori non simul addito. vid. Catalogus ejus plantarum de anno 1730. Nostri ergo erit officii, ut rectum quoque ejusdem suppleamus characterem, quippe de quo tradendo & accurate describendo neminem adhuc quantum scimus industrium vidimus. Est itaque Cofè arbor plantæ genus, flore monopetalo regulari, cujus pistillum abit in baccam dipyrenam. Præter modum florendi, supra jamiam indigitatum a Jasmino ratione laciniarum in eo differt, quod nonnunquam sex vel plures observemus in Jasmino lacinas, cujusmodi lusus in arbore Cofe nondum adhuc detectus fuit, accedunt quinque stamina alba cum infundibulo floris continua, quæ Heisterus in Jasmino nunquam observavit, in Cofè autem arbore, ubi sese distincte exhibent, causam nescio ob quam, petalorum nomine donavit. Notis porro distinctionis annumerandum pistillum bicornè, quippe quo Jasminum caret, denique & bacca rotunda, cum e contrario oblongam Jasminum gerat, transversim in pediculo hærentem. Quantopere cum veritate nostrum conveniat assertum,

ipsa ocularis testabitur inspectio, interim jam traditum characterem pro certo habebimus, certiorum ab oculatioribus Botanicis expectaturi.

§. VII.

Quis non itaque vel nobis tacentibus errorem eorum sponte sua videt, qui arborem hanc semina fabis similia gerere peruerse credunt? Quantopere enim a genere leguminum discrepet, multis exponere modis supervacaneum foret, cum neminem, nisi artis Botanicæ ignarum nobis hic contradicentem habituros credamus. Verosimilimum autem videtur, originem appellationis hujus ipsi denominationi deberi apud Arabes usitata, quibus Bunn dicitur, unde eveniebat, quod corrupto nomine, cum nostro vocabulo germanico *Bohnen* aliquomodo conveniente, & olim, & hodie adhuc nuclei fructus Cofe fabarum nomine veniant. Methodum fructum hunc torrefaciendi, & ejus pulverem decoquendi, hic recensere ordinis quidem juberet ratio, plura tamen hic ad ejus historiam facientia, utpote in itinerariis fusius reperiunda enarrare, ne extravagari nimis videamur, medica quæ restat tractatio, prohibet, curiosos lectores, de inventione, propagatione, in terras nostras e Gallia transportatione & præparatione plura scire cupidos ad Tavernierii & Olearii Itineraria, Du Four tractatum supra citatum & Sim. Pauli Commentarium de abusu Tabaci & Herbæ Theè ablegaturi. (n)

§. VIII.

(n) Sunt, qui ex Sacro Codice antiquitatem arboris Cofe ejus-

§. VIII.

Quæ hætenus de origine, patria, varia denominatione, & descriptione arboris Cofè forsan non ingrata lectoribus recensuimus, fide quippe historica suffulti, eadem præmittere, ne sicco nimis pede ad medicam ejus disquisitionem statim transgredermur, instituti jubebat ratio. Illi certe, qui ejus nimio usui indulgere, sanitatique suæ infidias struere non verentur, se mortem vel certe morborum iliada e longinquo multis sumtibus & magno emere pretio, quam propiorem si lubebat, faciliiori negotio acquirere poterant, cognoscent. Nostri enim temporibus rem eo rediisse, ut non-
nisi

que fructuum usum notum jam veteribus seculis evincere student, dicto in I. Sam. XXV. v. 18. nixi, in quo de muneribus irato Davidi ab Abigaële oblatis agitur, verba textus hæc sunt: חֲמֵשׁ סָאִים קָלִי quinque sata polentæ, ubi vox קָלִי a קָלָה affare vel torrefacere descendens, tostum significat, & Phaseolos Cofè torrefactos exprimere creditur. vid. Paschii noy-antiqua Cap. VI. p. 447. Probationem suppeditat Casp. Neumann. quod קָלִי Cofè denotet, in sua explicatione alphabeti Ebraici, quam vide in Act. Erudit. de ann. 1708. Mens. Mart. p. 114. sqq. Autor hic singulis literis significationem quandam inesse credens hanc verbi קָלִי tradit analyfin. ק motum in circuitum & ל adversativum denotat impulsu, qui adversus י extensionem longam agatur. Cum itaque Cofè in tostione hunc experiatur motum, ergo etiam קָלִי est Cofè. Æque infirma videtur probatio, ac eorum medicorum, qui ex plantarum signis vires earum colligere tentant.

nisi in abusu omnium cæteroquin minus noxiarum rerum deliciae quærantur, innumeris convincimur argumentis, attamen, si quid unquam est, quod nobis Teutonibus, quos antiquiora tempora fortitudine & prudentia inclytos reddebant, hoc ævo famam obscurare valet, id certe potandi cupidinem esse, ipse, quamvis gentis hujus sim socius, fateri cogor. Pindari sane utilissimum sobrietati ut studeamus consilium, plus justo observari, non est cur multis probemus rationibus, ipsa pro nobis stante experientia. Optimum Poëta iste antiquissimus sanitatem conservandi remedium in aquæ usu constituebat, omnibusque, quibus de vita diuturniore cura erat, suum ἀγρισον ὕδαρ panaceæ loco commendabat. Egregios quos habeat ad tempora nostra sectatores, multi præter vinorum crates, aquarum scyphi quotannis hausti & ne gutta supersit, more palatino evacuati comprobant. Quanto vero cum emolumento, quanta cum sanitatis & vitæ conservatione huic præcepto mos generatur, medici peritiores judicabunt. Attamen vereor, ne & Medicorum quibusdam hic rem dijudicatu difficillimam obtrudam, cum non sine multorum, quamvis non omnium suasu, vel certe permissu hunc aquarum usum dicam an abusum? in consuetudinem abiisse compertum sit. Adeo egregia illa olim usitatissima, si modo adhibeantur, medicamenta, quæ, si non majorem, certe eundem exhibere poterant salutarem effectum, & guttatim sine ullo incommodo sumpta faciliorem redde-

reddebant curam, in despectum abire videntur, ut nonnisi ea placeant, quæ mensuratim ingurgitari possunt. Quis non merito hominum rideat ineptam a quantitate medicamentorum ad maiorem effectum exin sperandum conjecturandi methodum. Quis non societatem, aquarum potui immodico quotannis per aliquot septimanas voluptatis magis quam sanitatis causa indulgentem videns, Xanthi credat cernere imitatores infelices, qui quod ipse, dum mare epotare conabatur, non poterat, jam unitis viribus tentare audeant. Quis non varias aquas ingestas, jam calidas, jam frigidas, jam potum Cofè succedentem, jam vinum interpositum videns, prima rediisse existimet tempora, confusumque in stomacho prævideat Chaos, in quo

*Frigida cum calidis pugnant, humentia
siccis. (o)*

Non equidem jam nobis animus fuit, omnem plane aquarum medicatarum rejicere usum, tanquam ineptum & minus salutarem, abusum saltem, uti semper perniciosum, ita & hic noxium indigitare annisi. Hinc & pari modo jam pauca de potus Cofè nimio usu, eoque summe damno pro subsectorum præcipue & temperamentorum diversitate faciemus verba. Non igitur erit, cur mares & femellæ, pueri innuptæque puellæ timeant, non erit, cur vereantur nos in exilium inque Arabiam & extremam Indiam unde originem traxit ablegaturos potum Cofè, ipsis quippe nobis ejusdem
C usus,

usus, modicus tamen arridet, adeo ut eundem nostris in terris vel maxime asservandum suadeamus. Hæc saltem nostra erit primaria & unica cura, ut noxas varias ex immodica Cofè potandi consuetudine oriundas enumeremus, ejusque amatores de iisdem vitandis præmoneamus. Hinc nec illi adhærebimus medicorum turbæ, qui nescio quo odio in potum hunc accensi eum omni modo exosum reddere studuerunt, quos inter Duncan, Hequetius & Simon Pauli (p) non ultimi sunt, nec eorum subscribemus sententiæ, qui nimia forsan ejus voluptate capti nectareo comparant potui, divinisque extollunt laudibus, ex quibus Heluetius, Andry, Bontekœ, Juissieu appellandi veniunt, sed media incedere via cum tutissimum habemus, hic quoque ex neutra stabimus parte, medicis autem rationibus nixi ea quæ proferemus probabimus, lectorum relinquentes arbitrio, num iisdem convicti ab ejus excessu abstinere, an vero eidem ulterius indulgere placeat. (q) Nostræ sententiæ stabilendæ

(p) Simon Pauli in Tract. de abusu Tabaci & Herbæ Thee p. 56. hoc decoctum palato nostro æque gratum affirmat, ac vilium pyrorum Europæorum decoctum, wie eine hochteutsche Hockel & rühe.

(q) Erasmi Francisci ita loquitur: Wenn der Cofè sonst keine Würckung hätte, wär es doch diese, daß er derer Medicorum Stimme ändert, und unterschiedene Urtheile verdienet; Anfangs ward er durchgehends gelobet, das brachte ihn empor. Wie aber allzugroß Lob verdächtig ist: so fingen die Gelehrten an, es mehr zu untersuchen. Simon Pauli ist zu hart, und schreibt gemeldeter Francisci, daß ihm einer, der obgedachten Simon Pauli gekennet, ver-

bilindæ succurrent duo artis medicæ firmissima fulcra, ratio & experientia, quæ semper indissolubili nexu juncta uti medicas veritates detegunt & probant, ita & nostris dictis robur addent.

§. IX.

Præcipua itaque nostra erit cura, ut paucissimis partes Cofè constitutivas excutiamus, faciliore negotio nos noxas ab ejus abusu pendentes declaratu-
 ros autumantes. Chymico ergo igni committenda erunt grana Cofè. Novis autem ut supersedere possimus laboribus Du Four fecit industria, is quippe C. 8. destillationi exposuit libram unam granorum Cofè retortæ vitreæ lutatæ inclusam, dimidiam libræ partem phlegma spiritus & oleum explebat, capite mortuo quartam constituyente, quod reliquam quartam concernit partem, eandem quamvis junctura optime lutata evolasse, totumque laboratorium odore Cofè perfudisse refert. Olei itaque & phlegmatis præsentiam ignis detegit Chymicus, diversæ autem ab hoc oleo naturæ aliud producit oleum per infusionem, aquam simplicem integris Cofè granis affundendo, ex qua infusione prodiens tinctura viridis, unctuositatem in superficie natantem secum ducit oleosam, ab illo tamen oleo, quod destillando impetramus longe discrepans. Spirituosas ejusdem æque ac sulphureas moleculas præ-

C 2

ter

sichert, er habe den Thee und Cofe nicht einmahl selbst probirt, sondern nur aus einer Passion verdammt, da er alle exotica verwarf. Dahero der König in Dänne-
 marck Fridr. III. da er den Thee in seiner Gegenwart verachtete, zu ihm gesagt: Credo Te non esse sanum, welches er erkläret, er glaube der Thee sey nicht gesund.

ter destillationem ipsa tostio & odor maxime penetrans manifeste produnt. Magnam denique ejus constituit partem eidem inhærens terra, cui mucilaginosæ æque ac alcalino-salinæ insunt particulæ, hujus existentiam caput mortuum post destillationem residuum & nil nisi insipidam referens terram comprobatur.

§. X.

Variis itaque particulis cum constare sciamus fructum Cofè, non difficulter conjicere poterimus, non omnibus subiectis, nec omni naturæ eundem convenire; sinistram autem foveant sententiam, qui tum ejus usum nimium innoxium arbitrantur, tum asserti sui stabilimentum in proprio exemplo quærunt. Persuadentur hi Arabum relationibus, quos nutritionis promovendæ causa hunc bibere credunt potum, cujus tamen usum & illi in voluptuarium commutarunt. Tantum itaque aberit ut panacæ nomen mereatur, ut potius loco universalis remedii salutaris ob abusum universaliter increbescentem universale damnosum nuncupandum sit potulentum. Calidioris temperamenti jam examinabimus subiecta, quibus natura vegetum & celeriores sanguinis donavit motum, hisce potum hunc suadere æque incongruum foret, ac si Jouis imitatores futuri ignes ignibus impari tamen cum successu compescere tentaremus, artis quippe regulis contrarium jubentibus. Dilutus magis potus isque tenuior ejuscemodi conducere poterit subiectis, quibus & sanguis crassior & ad orgasmum stasque pronus fuit. Fomitē autem
cum

cum potus Cofè, quippe ob calorem & oleofitatem eidem inhærentem celeriori humorum præbeat motui, fanguinea massa in rapidum citata fluxum quamplurimorum morborum fertilissima fiet mater. Calidiores febres easque inflammatorias nominasse sufficiat, quæ uti vel stagnantem sanguinem vel præter naturam celerius circulantem pro causa habent: ita & non raro inflammationes, vatorum obstructions, imo denique extravasationes sanguinolentas infelicissimos habent comites. Querentes hinc audias de phlogosi nimia ægros, de siti immensa, doloribusque capitis vix compescendis, & quæ sunt id genus alia mala, quibus sigillatim enumerandis pagina vix sufficeret. Frigidioris itaque constitutionis hominibus modicum hunc potius concedendum esse potum vel sponte sua patet, quorum quippe sanguis tardius fluens calore corrigendus est, & quorum spiritus animales segniores vegeto indigent motu. Huc referendi sunt ii phlegma multum idque acrius generant, & sæpius morbis catarrhalibus a serosa caolluvie & pituita lenta pendentibus divexantur. Quo magis enim iis frigus infensum est, quippe quod humores condensando & eorum evacuationem impediendo vim morbi intendit, eo facilius materiæ viscidæ & acris discussio erit speranda, quæ uti interdum solo calore externo impetratur, ita ope potus calidioris eo felicius promovetur.

§. XI.

Egregiam hic Cofè potatoribus præberi occasionem potus sui adeo deamati laudes extollendi

haud difficulter conijcere licet. Etenim quæ de vi ejus calefaciendi concessimus, ea ad ejus abusum sub utilitatis specie excusandum applicare solent. Quantum hinc stomacho conducit roborando ejusque calorem intendendo manibus pedibusque defendunt, neminem quidem hic contradicentem habentes, falso tamen ab hac virtute ad generalem ejus in omnibus usum concludentes. Non enim omnia quæ calida, quæ spirituosæ, quæ oleosæ sunt, stomachum roborant, nec omnibus calorem stomachi magis auctum conducere docet ratio. (r) Queis itaque digestio ex voto succedit, nec pro ventriculi tono conservando quæcunque calida sunt, multo minus potus Cofè concedendus est, acor quippe ventriculi si aquæ Cofetanæ ingestæ copia diluitur, degenerat, vimque appetitum excitandi, & cibos in chylum convertendi perdit, accedit & oleum quod unctuositate sua spicula acria menstrui stomachalis obtundit, & cum bonus sperabatur effectus, contrariam plane ostendit vim. Falluntur ergo & ii, qui vim nutriendi potui nostro adscribere audent, Turcarum opposcentes exempla, vid. Du Four C. 3. quibus persuasum est, nutritionis tantam ei inesse virtutem, ut hausto eodem labores per integrum diem nullo cibo interposito continuare queant. Ii enim, qui-

(r) Solus calor ad concoquenda alimenta non sufficit, hinc & vis calefaciendi Cofè inherere credita nihil facit ad stomachum roborandum vel cibos digerendos. Sic enim os ollæ aqua plene inclusum nulla ignis vi dissolvitur, mox vero in stomacho canis comminuitur.

quibus inter Turcas res domi est angustior, quique opificum laboribus diem transigunt, aliquot vasculis Cofè mane haustis stomachum adeo satiant, ut diurnas defatigationes sine ulteriori cibo perferre possint. Hinc non cursores, non militem esse docent itineraria, qui non compendioso apparatu pro potu Cofè præparando & bibendo sit instructus, qualem asservari inter rariora horti Bosiani visu & admiratione digna curiosi mecum fatebuntur contemplatores. Vix vero vim hanc dici posse nutritivam, & quotidianum ejus usum stomacho conducere vel exinde patet, quod nec ipsi Turcæ hunc in finem eodem utantur potu, sed aliquando saltem, ubi necessitas ciborum impedit assumptionem. Falso hinc quæritur virtus stomachum satiandi in partibus pingvioribus mucaginosi, quippe quæ fermentum ventriculi cohibere quidem queunt, nutritioni autem promovendæ, si potus quotidie adhibeatur non sufficiunt. Nutrire tamen videmus aliquando potum Cofe cum lacte sumtum, injurii autem in lac esse videmur, si, quod ipsi tribuendum erat, Cofe usui solummodo adscriberemus. Cum enim nutritio sit alimenti in stomachum ingesti & motus peristaltici ventriculi & intestinorum, menstruique stomachalis ope in chylum & sanguinem conversio, an potus Cofe solus id præstare queat, merito dubitamus, perpendentes modo, quantillum sit, quod in ejus decoctione, ubi pulvis fundum petit, præter spiritum & oleum aquæ jungi solet, id quod vix in corporis substantiam cum spe nutritionis sufficientis feliciter

licitè converti aptum esse poterit. Lac vero si accedat, non opus est multis argumentis quibus vim nutriendi & chylum bonum præparandi evincere necesse habeamus. Quanta enim lactis & lacticianiorum usus emolumenta infantibus æque ac adultis præstet, inter medicos vel me silente cunctos constat. Lacti hinc merito tribuendum, quod ipsius est. Num itaque bene sibi consulant Europæi quando potui huic assuescunt, affirmare haud consultum ducimus. Unius quippe populi ad exemplum, cui usus ejus forsan conducit, non omnium terrarum incolas vivere posse ipsa docet ratio. Regionum scilicet orientalium clima, ipse vivendi modus, ciborum diversa indoles, cum longa a nostris differat provinciis, diversum quoque ex peregrinorum fructuum usu apud nos sperabimus effectum. Accedit & necessitas quæ Turcas ut de potu hoc frequentius usurpando solliciti essent, jubebat. Quicquid nempe a vino sperare poterant salubritatis, id ejus usu lege Mahometica prohibito a Cofe impetrare se posse persuasum habent. Substituendum autem erat in vini locum aliud quo delectarentur potulentum, cum quidem vinum præferant, eoque aliquando, cum Imperator Selimus ejus concederet usum egregie delectarentur; vid. Leonh. Rauwolf. Itiner. Cap. VIII. hisce tamen deliciis posthac iterum privati Cofe subnectere coacti fuerint. Nec dubium est, quin sanitati suæ melius, quam nostrarum regionum incolæ consulant, præterea enim quod necessitas & lex iis alium injungebat

bat potum, temperamenti quoque qualitas ipsis auxilio erit. Frigida namque & phlegmatica cum sint plerorumque Turcarum corpora, cumque ipsa gens leguminibus & fructibus multis vescatur, pro stomacho calefaciendo potum Cofe feliciter adhibere videntur, dum quod vini usu præstare non licet, aqua calida efficiunt.

§. XII.

Progredimur ad aliam noxæ speciem, quam in potus Cofe abusu deprehendimus. Quantum enim emolumentum ejus moderato usui concedimus, tantum detrimenti illi sentient, qui aquam Cofetanam eamque pulvere Cofe plus justo satiatam quotidie hauriendo, tempus cum sanitate perdunt. Sic sola aqua parvum modice ingurgitata cum viscerum laxitatem & atoniam conciliare valeat, quanto magis robur partium debilitabitur, ubi eadem terræ crassiori mixta adhibetur. Non mirum ergo, eos quibus non solum dies sed & hora, quam sine Cofe usu transigunt perdita videtur, effœminatorum inscribi catalogo. Consentit nobiscum Simon Pauli, inter Botánicos non ultimus, qui vires fructus Cofe diligenter excussit, v. Comment. ejus de abusu Tab. & Herb. The p. 31. Persarum producus vivendi modum, qui teste Oleario in Itinerar. Pers. & Moscov. L. V. c. 17. potu hoc eum in finem utuntur, ut vim generandi minuant, cum multis sese onerare liberis ipsis molestum sit. Hinc & non raro prorsus steriles & fceminas & viros reddi, exemplo Sultani Machmud Casnim, qui cum potioni huic

D

nimi-

nimum fuerit assuefactus, uxorem plane averfari inceperit, ipsam itaque, cum equum aliquando castrationi destinatum cultro jam subjiciendum viderit, eum doloribus hisce liberari posse nec tanta vi opus censuisse, modo eidem largior præbeatur Cofe potus, unde certissime æque ac maritus suus frigidus evasurus sit, & ad generationem inhabilis. Hinc est, quod dictus autor Sim. Pauli odio fere inextinguibili in hunc potum incensus, eundem exulare plane e nostris regionibus debere consultius censuerit, quam ulterius tolerandum. Mitio-rem expectare poterat ab hoc viro Cofe sententiam, qui causam sterilitatis sulphureis tribuit moleculis, quas, ne infra, ubi de sexu sequiori pauca faciemus verba, tædiosi fiamus, in easdem bis inquirendo, ulterius indagabimus, utrique sexui noxas ex iisdem oriundas demonstraturi.

§. XIII.

Producimus alia in scenam subjecta, potum hunc cum detrimento adhibitura. Sunt ii homines qui biliosorum veniunt nomine, & hinc ad melancholiam procliviores esse solent, & ii qui facillime pituitam generant, his quoque, quanto cum damno potui Cofe indulgeant demonstrabimus, id pro certo ponentes, eos, quibus per naturam largior bilis est proventus, vividum & rapidum sanguinis spirituumque experiri cursum. Cholericos enim omnes si consideremus, eos ad quæcunque negotia suscipienda promptissimos, ingenio celeri & felici pollentes, ira quantocyus accensos reperiemus, luculento
indicio,

indicio, quantum in illis valeat humorum & spirituum exagitatio. Quæ cum ita sint, quid quæso iis potus calidior, vinum, & potus Cofe concedendus erit? cum liquorum vitalium cohibitione magis quam celeritate indigeant. Vim enim iisdem ipse quem antea demonstravimus calor infert, præterea & amaritudo fructuum Cofe similes in bile deprehendens partes cum iisdem unita amarorem adauget, cumque calore exsiccante conjuncta stomacho injuriam addit, nauseisque & vomitionibus biliosis crebrioribus ansam præbet. Falsum hinc & intempestivum quæritur remedium amaritudini succurrendi in saccharo adjecto, gratus enim hoc modo conciliatus sapor, ut aqua hæc plus sitiatur efficit, adeo ut miseri homines, sicut mures, qui pulvere capiuntur dulci, dulcedine allecti immodice potent, bilemque & pituitam dulcium additione cumulent, etenim (s)

*Dulcia se in bilem vertunt, stomachoque tumultum
Lenta parit pituita, (t)*

& quamvis in subjectis pituitosis, quorum humores ob crassitiem viscidam ægre fluunt, diluentia merito commendentur, quippe quæ materiam spissam attenuant & ad evacuationem præparant, vix tamen potum hunc feliciter pro hoc scopo propinare, auctor esse velim. Sicuti enim ob oleum & dulcedinem

D 2

biliosis

(s) Horat. L. II. Sat. 2.

(t) De dulcium natura, usu & abusu vid. Dissert. Georg. Wolffg. Wedelii, Jenæ an. 1694. habita.

biliosis mali majorem addit fomitem: ita ratione terrearum molecularum, quibus vis adstringens inest, impuritates viscidiores antea jamtum collectas magis magisque incrassat, adeo ut iis, qui frequentius morbis catarrhalibus, rheumatismis, melancholia, & obstructione generis glandulosi laborare solent, minus tutum sit remedium. Constat nempe inter medicos, virtutem attenuandi & diluendi non nisi aquosis competere medicamentis; quæ vero aliis iisdem contrariis imprægnata sunt partibus, quales in fructibus Cofe deprehendimus, eadem quoque contraria pollere virtute certo persuademur, adeo ut aquam simplicem ipsi Cofe potui præferre consultius ducamus.

§. XIV.

Hæc eadem est ratio, cur male sibi consulere videamus hydropicos, qui dum vasorum lymphaticorum obstructionem patiuntur & hinc non immerito eorundem vel metuunt vel jam experiuntur rupturam, ferique extravasationem non raro lethalem, inter alia potulenta, quæ vi diuresin promovendi & ferosam congeriem eliminandi pollere creduntur, Cofe sinistre tamen adhibent, aquarum quippe quo plus sunt potæ plus sitientes usum. Quæ enim superiori positione proposuimus hic & causam indigere poterunt perversæ medendi methodi, quam hic subeunt adscitici, nil certius expectaturi quam delapsam in Scyllam dum Charybdim evitare allaborant.

§. XV.

§. XV.

Hiscē certis & extra dubium positis, mirum certe non erit, si videas tot tantosque ceteroquin egregii felicissimique ingenii viros, eruditos, studiis noctes diesque operam navantes, attamen haud paucos macilentos, ante diem senes, de insomniis querentes, tremulaque membra etiam dum adhuc vegeta fruuntur ætate non sine horrore spectantium ostendentes. Graviter sane hallucinantur ii, qui solam causam lucubrationibus, profundis meditationibus, vitæque sedentariæ, quam libris quos nocturna & diurna versant manu, incumbentes degunt, adscribendam ducunt. Nec rem acutangunt, qui parciores cibi potusque usum macilentæ & fere hippocraticæ horum virorum faciei matrem autumant, quippe cum literati plenum credantur evitare ventrem, utilibus cogitationibus noxium, spiritusque dissipantem. Compertum etenim est, & hujus generis viros cibo potuque largiori oblectari, nec suo novercari stomacho; non procul autem a scopo aberrabimus, si causam cur tot videamus literatos, quibus rara est pinguedo, in consuetudine potum Cofe præter modum etiam dum laboribus & studiis immerfi sunt bibendi ponemus, non quidem eandem unicam habituri maciei eorundem rationem, sed præcipuam tamen. Potu autem hocce non solum matutino utuntur tempore, eoque largissimo, sed & tabaco adeo litant, ut ejus usu omisso spiritus tardius accendi sensusque segnius agere arbitrentur, vel certe laborum

borum tædia levare credant. (u) Salus hinc iisdem plurima in tabaco & Cofe quæritur, utrumque omnes fere pofcunt, eruditi canalibus ora admovent, publice multa docte proponunt, domi fumos atros Cofe proluendos fpargunt. O miferos eruditos! fanitatis propriæ ofores, subtilis, fere dicam craffioris autochiriæ reos nuncupandos. Frustra quod impetrare moliuntur, fpiritus diffipant, quos colligere debebant, ftomachi impediunt concoctionem, caufam doloris ipsius gravativi non e longinquo petitori. Unde tremor artuum, unde noctes infomnes, (x) non certe folis profundis curis adfcribendæ, & cum calamitas fere nulla fine comite irruat, dolores accedunt hypochondriaci, quibus producendis vita fedentaria fymbolam largiffimam confert. Infelices hos, quibus fanitas non eft curæ! fideliter eos monemus, ut principiis perverfæ huius confuetudinis obftent, alienisque periculis, ut propriis fupersedere poffint, cauti fiant, ne medicina fero parata effectui careat, cum malum poft hac nulla vi, nullo modo corrigendum per longas invaluit moras,

(u) Amatur maxime oblectationis & otii fallendi gratia, ad exemplum Turcarum, qui magnam in eo conftituunt urbanitatem, adeo, ut officio deeffe videatur, qui eum non propinat, Mapp. in Differt. fupra cit. p. 29.

(x) Monachi (Deruis) & literati inter Arabes, quoniam vigilias & preces nocturnas facilius, eodem utuntur, vulgus hinc ex fervore religioso ufum ejus etiam apud fe introduxit, multas interdictiones adeo non curans, ut frequentiffime eundem abforbeat, & mulieres fi potus ipsis denegetur, caufam divortii in eo quærant.

moras, difficillimum reputantes opus, naturam expellere, usque dein recurrentem.

§. XVI.

Quo minus vero perpercisse videamur sexui sequiori, scemellis, munditiei morumque elegantiae cæteroquin studiosissimis, & de iisdem paucula monebimus, quippe quas nescio an virorum seductas dicamus exemplo, an vero easdem, cum etiam sine magistro pravos discant mores omnesque consuetudines æmulari sibi gloriæ ducant, potum Cofe prius degustasse, & ut Eva mater, cui garrulitate & deliciarum amore similes factæ sunt, Adamo pomum, sic viris patellas Cofe plenas propinasse credamus, dubii adhuc hæremus; id tamen pro certo habentes, eas cupitate potum hunc magna ut ajunt paropside hauriendi, totosque uno haustu evacuandi culullos viris non solum æquales esse, sed & ipsos aliquando longe antecellere. A quo tempore enim expectatissimus ille Cofe utendi modus apud nos invaluit, sedulo curam egere sollicitæ de cujusvis rei conservatione & propagatione mulierculæ, ne desideratus hic potus, omnium ore & consensu Nectareus habendus, detestationem forsan pateretur, vindictam ab eo sat gravem metuentes, si despectum hunc, palatis earum se subtrahendo ulcisceretur. Quanto hinc cum gaudio tunc exceptus fuerit, haud difficulter conjicere possumus, cum hodiernis adhuc temporibus nec in defuetudinem abjerit, nec nauseam iisdem pepererit, omni potius cum veneratione

neratione quotidie bibatur, suæque bonitatis æterna capiat elogia, gratissimus semper hospes, qui nec post tres dies vilescit, sed in omne se ingurgitatum iri ævum certissimam concipit spem. De novo etenim apparatu ejusdem comparando omnes videas anxias mulieres, ut habeant, quod inter colloquia quotidiana, dum conventiculis suis vacant, sermonibus immiscere possint, feliciori cum successu se confabulationibus interesse posse autumantes, cum tamen hoc remedio sine silentii metu superfedere possent, siquidem mulieri

per se lingua soluta est

Quæ responsa, etiam non rogita parat.

Attamen, si non inveniendis discursibus, facilitandis tamen iisdem conducere creditur potus Cofe. Ariditas enim faucium, continua garrulitate excitata medelam poscit, dulci hoc in potu optime inveniendam. Tunc demum, disertas & sine hoc potu mulierculas catervatim audias non sine strepitu varia nova commemorantes, fabellas narrantos, societatem hesternam, ipsos tandem viros traducentes, lulum infelici cum successu susceptum deplorantes, denique loquendo aliquantulum lassatas, quamprimum lusus mentio facta est, lulum post potum parantes, inque hoc Ennium patrem æmulantes, qui

nunquam nisi potus ad arma (y)

nec vero inter ipsas chartas lusorias potandi cessat
avi-

(y) Horat. Epist. L. I. Ep. XIX. v. 7.

ditas, sed famulantes ancillæ plenis manibus indefinenter apportare jubentur pultaria, Cofe repleta, semperque ad primum nutum (z)

vocatus adest calidæ gelidæque minister.

dicentum autem & his est, quanto cum sanitatis dispendio potu hoc abutantur & quantopere modum tenere ignorent. Surdis me quidem narraturum fabulam auribus præscio, attamen narrabo, ne prorsus insciæ sint malorum, quæ immodicam hanc vivendi rationem comitantur. Oeconomica hic merito primum occupare debebunt locum damna, quæ non infima certe sunt, quippe cum decoquendo hunc potum insatiabiles potrices, virorum aliquando decoquere facultates non verentur, majori potus hujus desiderati amore quam virorum consortio captæ, eum quippe adeo æstimantes, ut cum eodem vivere ament, cumque eo libenter obire cupiant, curas domesticæ rei quæ iisdem cordi esse debebant, potu hoc dispellentes, quem iisdem fugandis æque aptum judicant ac vinum, de quo Poëta canit: (a)

vino pellite curas,

Cras ingens iterabimus æquor.

O prodigas tales scēminas! quæ suo alias incitant exemplo, ut sumtus rei familiari impendendos ad delicias damnosas parandas adhibeant, nec se ad illum

(z) Juven. Sat. V. v. 63.

(a) Horat. Carm. L. I. v. 31.

illum quem fors & conditio iisdem dedit, metiantur modum, censum pereuntem non sentientes, ac si (b)

exhausta redivivus pullulet arca

Nummus.

Non prolixi hic erimus in recensendis variis dispendiis ad rem familiarem spectantibus, quippe medicorum munere fungentes potius ea quæ corpori scemineo nocent potui Cofe assuefacto, enumerabimus, ne culpam medicorum quævis indulgentium incurramus. Adibimus itaque puellas, in faciei venustate conservanda & colore vegeto, quo magis sibi & aliis placeant acquirendo, curam omnem ponentes, iisdem, cum pulchritudinem pro idolo habeant, ostendemus, qua ratione potus Cofe quem diligunt eas dedecorare valeat. Virgines hic præcipue optarem causas audientes, cur faciei remedium in cosmeticis quærere necesse habeant, quorum ope facies rufas & flavedine tinctas dealbare purpureoque miscere colore student. Summibus hisce parcere discent, si modo pravo Cofe potandi mori valedicere lubeat. Placebunt magis impropterum amatoribus suis, naturalem faciei referentes colorem, fucatasque genas comparandi labore supersedebunt, ne de iis vltius dicatur quod Clitipho Chremeti objiciebat,

rufamme illam virginem? (c)

quid enim magis quam deformis facies ex instituto com-

(b) Jun. Sat. VI. v. 361.

(c) Terent. Heaur. Act. V. Sc. V. v. 17.

comparata virginem dedecebit? cui per potum hunc fuscum infuscatæ & metamorphosin Ovidianam subiisse creditæ merito illud Virgilianum

O virgo nova mihi facies inopinaque venit,

acclamandum esset. Hunc effectum autem abusui potus Cofe vel maxime deberi admodum est probabile.

Quis enim nescit sanguinis motum præternaturalem, vel tardiorē vel celeriorē esse, illumque a crassioribus, hunc a subtilioribus moleculis & rarefactione massæ purpureæ dependere, utrumque autem morboſi status originem esse. Lento motui fo-

mes largissimus per incrassantia esculenta vel potulenta, terreas & gelatinosas partes gerentia præbetur, æque ac citatior cursus spirituosus, calefacientibus, oleoso-volatilibus & sulphureis debetur. Utrumque pro subjeſtorum diverſitate a potu hoc expectare poterimus.

Unde enim est, quod tot pallidas, chlorosi laborantes, tributū lunaris nullum vel irregulare meumque exiguum proventum habentes, & cachecticas nostra præcipue alat Lipsiæ puellas, nisi communem iis potum pro causa palmariā ponamus?

Unde tot morbi acuti? quorum originem nobiscum Celeberrimus Hofmannus in potus hujus excessu ponit, nervoso quippe generi inimicissimo & eidem debilitando admodum apto. vid. ei. Medic. System. quam allegat Sim. Paulus Hilscher in Propemptico de abusu potus Cofe in sexu sequiori p. 7. Pro diverſitate tamen naturæ & individui diverſum quoque & contrarium priori, æque tamen noxium in iis deprehendimus effectum, quibus celerior incen-

ditur sanguinis motus. Dissipantur autem spiritus vitales, & humores rarefacti impediuntur, quo minus justo ordine & cursu ad eas deferri queant partes, quibus nutriendis sunt destinati. Ut taceam, bilem calore magis magisque intendi, cum constet calidorum usum miscelam uti omnium humorum, ita & bilis cum sanguine augere, & hinc flavos femellarum vultus, ictericos fere referentes eo minus mirari conuenit, flauedine nempe ad superficiem cutaneam impetuose propulsa. (d)

§. XVII.

Organis autem porro generationis infensum sistimus potum Cofe, eadem enervando & tono justo privando. Sulphuris hic effectus tribuendus erit in existentia, utpote quod agilitate sua igneque clandestino organis sensim paullatimque stuporem inducit, novorum spirituum affluxum impediendo. Nullum autem sulphur sine acidis concipi poterit particulis, hæ autem humores & vasa constringendo &

(d) Beatus Rivinus purpuræ, antehac non adeo frequenter observatæ, crebriore autem potus Cofe usu introducto nunc omnes fere puerperas invadentis causam in saccharo adjecto ipsiusque potus abusu ponit, & in genere morbis exanthematicis scorbuticisque fomitem præberi non sine ratione putat, materiam quippe malignam in massam sanguineam propulsam per cutem efflorescere. Vid. Joh. Andr. Fischeri Dissert. de Potus Cofe usu & abusu, Erford. 1725. habit. p. 17. 18.

& inspissando, imminuendi & exsiccandi produnt vim, quidni ergo & organa generationi dicata eadem fata pati posse metuamus? Objicientes quidem prævideo eos, qui caloris vim in agilitate concilianda ponunt, unde & Venerem languidiorem vel plane frigentem sulphureis Cofe particulis minime imputandam esse insciis & credulis facillime persuaderi posse opinamur, attamen si probe perpendamus, præfentes & veteranos spiritus hanc quidem agilitatem sentire, novorum vero accessum impossibilem reddi, facilius nostræ subscripturos habebimus sententiæ. Persas vivos producimus testes, qui hoc potu immodice delectantur, non tantum ut palato suo satisficiant, sed & ut procreationem nimiam prolis impediant, cum liberis nullam operam, magnam vero voluptati dent, sterileque conjugium, quamvis Turcarum more polygamiam colant, fecundiori præferant. Quod ergo maribus Persarum evenire fides historica æque ac ratio probat, id & scemellis nostris pariter ac viris accidere posse non est cur dubitemus. Caveant itaque, ne ob frigidiorē Venerem studio conciliatam virorum pariter ac mulierum frontes posthac monstri quid alant!

§. XVIII.

Tandem &, antequam desinant nostra qualiacunque circa potus hujus abusum monita ratione & experientia comprobata, matres adimus, ut his forsân argumentis convictæ de veritate eorum quæ diximus,

aqua Cofetana impofterum modice uti incipiant, vel fi non fuerint, certo credant, fe fero tandem proprio cum periculo noxas prædictas ubi expertæ fuerint, intemperatum fuum potandi cacoëthes ejuraturas. Id faltem ab iis impetrare optamus, ut pravam hanc confuetudinem infantes adhuc tenellos docere differant. Dolendum certe, infantum corpuscula mature nimis aqua obrui & fic incremento privari, ipfosque fere Cofe prius quam lac maternum, illis falubrius futurum, deguftare cogi. (e) Crambem bis coactam apponere non conftituimus, argumentis proribus fententiam noſtram corroboraturi. Et enim cum adultis ejusdem damnofum propofuerimus uſum, quanto magis iisdem pernicioſum quilibet judicabit fore, quibus adhuc infirmum eſt corpus, potui huic cum euphoria aſſumendo minime idoneum. (f)

§. XIX.

Sufficiant hæc breviter, quantum feſtinans conceſſit calamus, de abuſu potus Cofe propoſuiſſe.

(e) Hoc diſcunt omnes ante alpha & beta puellæ. Juv. Sat. XIV.

(f) Galenus L. V. de ſanitate tuenda, pueris vinum nocivum dicit, quoniam ignis igni adderetur, hinc Plato ejus uſum ad annum ætatis XVIII. interdixit. Vino enim forma perit, vino corrumpitur ætas. Hoc & præceptum ad Cofe uſum ob pariter damnofum effectum in infantibus applicandum erit.

fuisse. Plura commemorare tempus prohibuit. Quamvis enim uberius de hac materia differe-
re animus erat, cum multa circa historicam & me-
dicam tractationem collegerim, hic tamen sub-
sistendum erit in aliquali malorum enumeratione,
quæ ii qui nimio potus sæpius commemorati desi-
derio capti sunt, metuere possunt. Sicut autem
omnia jam dicta de immodico & sine discrimine
adhibito usu ejusdem intelligenda cupimus, ita & vel
sua sponte patet, multum emolumenti ad modi-
cos ejusdem potatores redundare, cum eum egre-
giis virtutibus medicamentosis pollere sit in pro-
patulo. Singulares ejus jam enarrare effectus nec
constituimus, nec propositi ratio concedit, præ-
cipue cum ea quæ jam tradidimus, eruditorum
sufficere posse disquisitioni judicemus. Si lectori-
bus, id quod speramus, placuerimus, quas nobis
servavimus meditationes & observationes ubi tem-
pus & occasio permittent, in lucem tradere insti-
gabimur. Hoc denique optantes, ut ii quibus
sanitas cordi est, abusu rei tam noxiæ abstineant,
turpe reputantes civibus esse, si in republica,
pace optima gaudente, plures gulam
quam gladium occidisse
dicatur.

RESPONDENTI

PRAESES

Unitis jam viribus VIR CLARISSIME, inveteratam perfringere conamur consuetudinem, pugnam suscepturi non levem, cum multis rem habituri adversariis. Quid ni inter amatores potus Cose adeo aestimati praecipue scemellarum metuamus arma, minas, objurationes? Attamen dum metuamus, modo non sentiamus. Lingua non ense pugnant, easque aliquot pocillis potu Cose repletis, quibus ora loquacia obturare poterimus, mox sopiemus. Non enim placet cum iis in palæstram descendere, virorum expertorum expectantes disquisitionem. Laudo interim tuum mecum dimicandi studium. Dexteritatem tuam, quam tum privatim, tum publice jamtum exhibuisti multis hic extollere encomiis tua prohibet modestia. Age ergo, & quam de te omnes boni concipiunt spem, imple. Perge, quam coepisti amatore Meditrinam, imprimis floram tuam, certissimaque tandem laboris & studiorum tuorum laudabilium expecta præmia. Habebit dein Lipsiæ tua, Parentes tui amantissimi omnesque boni, de quo in sinu gaudere queant. Vale, mihi que

fave. Dab. Lips. d. VII. Id. Jun.

M DCC XX XIII.

